

CAPICIO (Scipio)

DE PRINCIPIIS RERUM (1754 vers.)

Le texte proposé ici a été établi à partir de deux éditions des poèmes latins de Scipione Capeche : celle des 'Aldi filii' parue à Venise en 1546 et celle publiée à Padoue par Josephus Cominus, en 1751.

## LIBER PRIMUS.

P\_1 v.1 Naturae mundique cano quae semina primum,  
 2 quae causae fuerint, atque unde exordia rerum,  
 3 arduus, aspirant tantis modo numina ceptis,  
 4 egregiusque labor, longis qui corda tenebris  
 5 solvere, et optata valeat perfundere luce.  
 6 Hos mea num fluctus, haec nare per aequora puppis  
 7 audet, et intacto sua credere vela profundo ?  
 8 Rex superum, superique patris mens unica, per quem  
 9 ipsa parens vires natura accepit, et ortus,  
 10 quo sine mortales longis erroribus actae  
 11 complentur miserae terra caligine mentes,  
 12 annue, et his vires tribuens ingentibus aequas  
 13 pollicitis, per te eduxit quas conditor orbis  
 14 immensi, arcanas da rerum pandere causas.  
 15 Et tu, quem clarae jampridem gloria gentis,  
 16 et tua praecipue virtus immiscuit astris,  
 17 sive feros arces Turcas oriente, piusque  
 18 te manet ille labor, formidatosque coerces  
 19 omperio populos, et Christi signa reposcis,  
 20 optatamque diu terris das maxime pacem  
 21 Farnesi, et fessis tandem parvis otia rebus ;  
 22 seu gentis te cura pia sanctusque moratur  
 23 religionis amor, dum tam diversa sequentum

24 hac super, ambigua solvis formidine mentes,  
25 et certa in veram prodit sententia lucem,  
26 ignoti vada pande maris, tenuemque procellis  
27 eripe, et ad tanti cymbam rege marmoris oram.  
28 Perpetuae tractus telluris vastaque ponti  
29 aequora caerulei, caelique immensa profundi  
30 mirati spatia, et mundum fulgentibus astris  
31 distingui, et vario ferri vaga sidera motu  
32 solerti ingenio mortales, abdita nosse  
33 naturae arcana, et mundi indagare latentes  
34 tentarunt ortus, dulcique cupidine rapti  
35 quaerendi in rebus rationem, quae hisce creandis  
36 vis sit, scrutantes, et quae genitalis origo,  
37 invenere viam, qua rerum cernere causas  
38 primaque nascentis possent exordia mundi :  
39 dumque animo naturae agitant secreta parentis,  
40 his diversa super decernere contigit, impar  
41 ut votum est cunctis nec mens mortalibus una,  
42 tantarumque ortus rerum penitusque latentum  
43 aggressos aperire, globus caliginis atrae  
44 obtexit magis, eque aliis innectere nodos  
45 assuerunt alios, uno centumque soluto  
46 implicuere, novusque umquam non defuit error.  
47 Ille igitur quicumque fuit qui tradere primus  
48 haec potuit, statuitque novo primordia mundo,  
49 et qui coeperunt naturae prodere causas,  
50 principio finxere rudem nec corpore certo  
51 informemque globum ; varias unde omnia primum  
52 discreta in formas, rerumque effluxerit ortus.  
53 Namque hi, quae vacuo nascuntur in aethere, tellus  
54 quaeque ferax parit, et salsi quae stagna profundi,  
55 mirificis concreta modis, dum sumere cernunt  
56 haec aliam, atque illis aliam subrepere sensim  
57 naturam, penitusque nova mutare priorem ;  
58 in variasque eadem semper cessisse figuras,  
59 inque alias rursus species extincta novari,  
60 omnigeno haud ullam statuere in corpore formam.  
61 Hinc ortum duxisse rati genitalia partes  
62 ducta per expressas orientis semina mundi.  
63 Inque illo, possent generatim unde omnia nasci,  
64 materiam latuisse rudem, confusaque certas  
65 reddenda in species cunctarum exordia rerum.  
66 Hinc chaos id Graii dixerunt nomine, primae  
67 quod causae nondum expromptae, visque abdita matris  
68 Naturae, rerumque forent ibi corpora, nullas  
69 formata in partes, tantumque incerta facultas,  
70 qua prima in species coalescere semina possent  
71 quaequesuas, nascique opus admirabile mundus.  
72 Id vero, fieri possent unde omnia, prorsus  
73 principio posuere carens, nullumque putarunt  
74 huic ortum posse aut spatium praescribier aevi,  
75 materia haec fuerit cunctis quod prima creandis ;  
76 dum non ex alio potuisset gignier, esset  
77 quando nil genitum quod non hinc sumpserit ortum ;  
78 nec fieri e nihilo, quia corpora quaeque videntur  
79 ex alio gigni, inque aliud corrupta resolvi.

80 Haec illis ratio, quis primis noscere curae  
81 semina certa fuit rerum, decernere suasit,  
82 tellurem, et quicquid circum hanc diffunditur, ortum  
83 principio ex illo, lateque patentia caeli  
84 moenia convexi, atque orbes duxisse coruscos ;  
85 hanc longum sectati idem quos impulit ardor  
86 Naturae effectus studio indagare sagaci,  
87 ante alios Pharii regio quis laeta Canopi  
88 et fortunati suadent stagnantia Nili  
89 flumina mortales illinc contendere primos  
90 in lucem eductos ; et qui flammantia mentem  
91 astra super vigilem atque excelsi culmen Olympi  
92 tollentes, solisque viam, lunaeque meatus  
93 sunt primi varios scrutati, et quo vaga motu  
94 sidera volvuntur, servent quem fixa tenorem,  
95 qui regere humanos casus sortisque futurae  
96 eventum stellas, atque hinc se posse putarunt  
97 ipso qui maneat mortales finis ab ortu  
98 praesagire, magi patrio de nomine dicti.  
99 Haec igitur sese extendens, lateque recepta  
100 ancipites primo invasit sententia mentes,  
101 obtinuitque diu, donec solertia major  
102 acrius humanos animos exquirere causas  
103 edocuit rerum, coepitque patescere longus  
104 paulatim, qui se cunctis offuderat, error ;  
105 namque animadversum est, dives quae educit et auctat  
106 Natura, haud aliter prodire in lumina vitae  
107 semina, ni e certis capiant haec certa peremptis  
108 corporibus, neque proferri genitabile quicquam  
109 aspicere est, ni cujusquam sublata recedat  
110 alteriusque obitu nascendo forma novetur ;  
111 causa etenim certa est rebus resoluta creandis  
112 materies apta in certam se vertere formam.  
113 Et quia tam varias species et corpora quaeque  
114 e certis gignit rebus natura, nec ullas  
115 suevit ab incerta partes expromere matre.  
116 Haudquaquam dederit quod rerum semina corpus  
117 cunctarum certa, incertum infectumque putarunt ;  
118 nec potuisse sua specie formaque carere  
119 formata in lucem quod cuncta eduxerit, unde  
120 lumina caerulei sint orta nitentia mundi.  
121 Sumpserit unde sua immensi spumantibus undis  
122 circum saepta maris tellus primordia mater,  
123 quis rerum varias peperit fecunda figuras,  
124 umbriferas volucrum sedes silvasque virentes,  
125 arboreos fetus, fruges suavesque liquores ;  
126 divitibusque aurum venis canique metalla  
127 argenti et chalibum solidique effuderit aeris ;  
128 ex quo tot pecudum facies, formaeque volucrum  
129 principio, et monstra omnigenum sunt ducta natantum,  
130 unde etiam humani species pulcherrima fulsis  
131 corporis, aetheriae donati munere mentis.  
132 Ergo materiem, fuerit quae rebus origo  
133 omnibus, informem patuit non esse rudemque.  
134 Praeterea quod non vera ratione putarint  
135 corpore ab informi naturae semina oriri,

136 inde etiam aspicere est, tenues quod lucis in oras  
137 non aliter quicquam prodit nec concipit ullos  
138 ipsa parens fetus, perimat ni corpora quaedam  
139 miris juncta modis genitalia foedera solvens,  
140 hinc factura novis natura exordia rebus,  
141 atque ita dissidium patiens abeunte priore  
142 in liquidas auras extincto e corpore forma,  
143 materies aliam in faciem mutata resurgit.  
144 Sic alia atque alia in lucem natura profundit  
145 semina, et inde novas iterum manare figuras  
146 cernimus, inque alias species sic cuncta renasci.  
147 Quare non poterit corpus formarier ullum,  
148 ni vis leti aliud perimat compage soluta  
149 qua prior alterius constabat forma perempti ;  
150 non etenim quicquam fit, ni certa intereat res.  
151 Sic aliud porro ex alio fit, sic nova passim  
152 exoritur proles forma cedente priore.  
153 Aspice brumali torpet cum frigore caelum  
154 extrema in Scythia gelidaeve Propontidos oris  
155 flumina, quae volucris cursu lata arva secabant,  
156 ut fluvidam relinquunt formam, rapidumque liquorem  
157 in pigram glaciem durataque corpora mutant ;  
158 mox ubi sol propius radios intendit, et acrem  
159 dissolvens hiemem concretas verberat undas,  
160 insolidum densata gelu vitreumque rigorem  
161 liquitur in fluvium species resoluta rapacem.  
162 Sic etiam liquidas fundit cum concava guttas  
163 sub rigidis spelunca jugis quae dives opimi  
164 Lucanus pecoris curvo proscindit aratro,  
165 in lapides stillans humor concrecere duos  
166 cernitur, et mollis paulatim astringier unda ;  
167 non secus ac terram densat cum frigidus aer,  
168 vis tectis labens aut flentibus humida ramis,  
169 stillandi ut linquat morem, quaeque uda fluebat  
170 in glaciem conversa rigens jam stiria pendet.  
171 Cernis item nigrans tormento inclusus ahenis  
172 e salice ambusto nitroque et sulfure pulvis  
173 immissi rapidam si vim conceperit ignis,  
174 quam subito in magnum se vertit corpus, et aer  
175 fit tenuis, nuperque locum collectus in arctum  
176 jam non se capiens fracto velut aethere fulmen  
177 erumpit, caelumque horrendo murmure complet,  
178 fumiferas spargens nubes procul usque per auras,  
179 emissam flammante pilam dum turbine torquet ;  
180 usque adeo haud aliter fiunt nova corpora, forma  
181 ni prior extinctis rebus sublata recedat.  
182 Sic igitur cuncta omniparens natura profundit,  
183 humida sic promit fruges et gramina tellus,  
184 et fetu ramos, et silvas frondibus ornat.  
185 Denique per terras omnes salsumque profundum  
186 non alia ratione queunt tot corpora gigni,  
187 nec valet in proprias species genus ire animantum,  
188 ni prior extinctam discedens forma relinquat  
189 materiam unde novis rebus deducitur ortus.  
190 Ergo quod rerum fudit primordia, certum est  
191 non potuisse suam non esse in corpore formam.

192 Hinc ultra humanae sese solertia mentis  
 193 extendit, rursusque alii reserare latentis  
 194 Naturae arcana, et mundi manifestius ortus  
 195 tentarunt primos, rerumque ostendere causas.  
 196 Atque hi non uno posuerunt omnia claudi  
 197 corpora complexu, nec certos cingere fines  
 198 Naturae loca, nec spatio haec praescriber ullo,  
 199 quandoquidem innumeri possint exsistere mundi.  
 200 Quare id, quod circum sese diffundit inane,  
 201 esse infinitum, atque omnes excedere metas,  
 202 quod nullae claudant orae, nec finiat ullum  
 203 extremum, careatque omni quod denique fine.  
 204 Hoc intra immensum spatium volitare minuta  
 205 corpora, quae quoniam nequeant in frusta, minores  
 206 nec findi in partes quae sint ea, nomine Graii  
 207 dixerunt atomos ; atque hinc elementa parentem  
 208 Naturam, et cunctis formare exordia rebus ;  
 209 dumque ea perpetuum variis per inane feruntur  
 210 motibus, et coeunt concursu corpora crebro,  
 211 nexibus inter se validis, et foedere firmo  
 212 conjungi, inque unum converti plurima corpus ;  
 213 atque ita cunctarum rerum primordia certis  
 214 conciliis fieri, in lucemque exurgere certam  
 215 materiam, ex qua naturae ducatur origo,  
 216 corporibusque fluant genitalia semina cunctis,  
 217 inde ubi sera dies actumque haec finiat aevum,  
 218 rursus in antiquas atomos corrupta revolvi,  
 219 in veteresque iterum converti corpora partes :  
 220 sic rursus exigua immensum per inane volare,  
 221 concursu donec coeuntia corpora crebro  
 222 in nova juncta modis miris elementa resurgant :  
 223 sic alios infinitum per inane creari,  
 224 solvi alios, rursusque minuta in corpora verti,  
 225 inque vicem his obitum contingere semper et ortum,  
 226 et posse innumeros hoc pacto exsistere mundos.  
 227 Hac prima omnigenam ratione effingere matrem  
 228 corpora naturam, cunctisque exordia rebus,  
 229 Graiorum est multis suasum, quis semina mundi  
 230 prima fuit curae et rerum cognoscere causas.  
 231 Haec eadem Latio illata est, natisque recepta  
 232 Roma tuis, studio claris cultoque coruscis  
 233 eloquio, ante alios Italum qui primus amoenos  
 234 Pieridum ingressus lucos e fronde perenni  
 235 detulit in Latium Graio ex Helicone coronam,  
 236 Naturae arcanas rerum dum pandere causas  
 237 nititur, et rarae deflagrat laudis amore,  
 238 hanc pater admittens dulci Lucretius ore  
 239 exposuit, blandoque tulit super aethera cantu.  
 240 Felix, si obscuris verum cognoscere lumen  
 241 in rebus potuisset, mellifluoque lepore  
 242 mananti optasset rationem carmine dignam.  
 243 Non illo Aonidum quisquam de fonte liquores  
 244 largius hausisset, nulliusque inclyta nomen  
 245 dignius aeternum loqueretur fama per aevum.  
 246 Magne pater, nostra o veniens ne deleat aetas  
 247 carmina, si solis radiis modo sidera quicquam

248 luminis adjiciunt, merito te semper honore  
249 prosequar, hocque tuo vivet cum nomine carmen,  
250 dum natura satis servabit foedera rebus  
251 imposita, et celso pendebunt lumina mundo.  
252 Sed longe errarunt qui sic statuere parentem  
253 semina naturam rerumque expromere causas,  
254 obscuris mersi in tenebris, veraque remoti  
255 a ratione procul, qui nil mortalia summum  
256 caelicolum curare patrem, casuque putarunt  
257 illa regi, aethereasque animas ut corpora, vitae  
258 lumine dilapso pariter succumbere leto.  
259 Falso itaque est illis ea sic decernere suasum,  
260 namque haud innumeris rerum primordia constant  
261 corporibus, parvisque adeo, ut concidier ullas  
262 in partes nequeant fierive minora secando ;  
263 nec mixtum raris densisve in rebus inane  
264 plusve minusve datur, spatium nec inane vacansve,  
265 quod vero haec rebus non sint exordia primis,  
266 nec naturae ortus dederint ea parva parenti  
267 corpora, quae nequeant frangi in partesve secari,  
268 quaque vacent numero late volitantia certo,  
269 hinc liquet, et vera poterit ratione probari.  
270 Nempe ea prima forent si rebus semina cunctis,  
271 haerere inque vicem tangi jungique necesse  
272 haec foret, et sese per mutua nectere certo  
273 concilio, in certam quo sic commissa coirent  
274 materiam, inque unum transirent plurima corpus.  
275 Haec vero quia sic fierent, haerentia circum  
276 parte alia atque alia fieret per corpora tactus,  
277 cumque alio atque alio haereret quodque undique corpus.  
278 Quare essent multae omnino, quis mutuus inter  
279 ipsa foret tactus genitalia corpora, partes ;  
280 atque ita nequaquam diversis illa carerent  
281 partibus, et spatio constarent singula certo ;  
282 unde nec innumera haec essent, cum cetera, quae ex his  
283 orta forent, minime sint infinita, sed illis  
284 sit modus, et constent mensura singula certa.  
285 Sic itaque ex atomis nequaquam corpora gigni,  
286 nec duci hinc rebus possunt exordia primis ;  
287 nec spatium porro in rebus contingere inane  
288 posset, ut in cunctis exstaret plusve minusve  
289 corporibus vacui pro textura nexuque  
290 cujusque, in densisque parum multumque daretur  
291 in raris spatii impleret quod cuncta vacantis.  
292 Namque nec in densis nec raris occupat ullum  
293 corporibus spatium, nec inest in rebus inane.  
294 Quandoquidem genitis si quid contingere posset  
295 corporibus vacui, raris quod maxime inesset,  
296 dum laxae partes essent, astringier, inque  
297 angustum vi humana aliquod se cogere corpus  
298 posset, ut haerentes inter compressior esset  
299 particulas nexus, et se densaret in artum,  
300 contractumque minus fieret totum undique corpus.  
301 Sed non ulla potis vis est rarissima quamvis  
302 corpora in angustum spatium densare minusve.  
303 Quod licet in tenui penitus cognoscere flatu,

304 quem strato in campo tentum super aethera follem :  
305 aut jacere, aut forti salientem reddere pugno  
306 assuetus juvenis lentae insufflavit alutae ;  
307 illum etenim si quis pressando artare, minusve  
308 contrahere in spatium tentabit, scindier ante  
309 dirumpique pilam, subitoque exire tumentis  
310 effracto flatum claustro, et vanescere cernes,  
311 in spatium artari detur quam angustius umquam :  
312 usque adeo certum est non esse in rebus inane.  
313 Id vero ex alia constat ratione, patetque  
314 inde etiam, quod dum contentum corpus, et intra  
315 quemvis conclusum locum ita immutatur et omni  
316 afficitur parte, ut totum densetur in artum,  
317 quod fit praecipue adstrictum est ubi frigore corpus,  
318 concepta calida vi discedente, necesse est  
319 ut quantum spatii se artante relinquatur illo,  
320 tantum aliud corpus conjunctum repleat, ipsa  
321 invita illius quamvis natura repugnet,  
322 ut nil non rerum admittat natura feratque,  
323 dum nullum omnino spatium patiatur inane.  
324 Idque cucurbitula immisso perfusa calore  
325 aut carni impressa, aut cedenti concava cuius  
326 materiae ostendit, namque hinc dum frigore cedit  
327 obrepente calor, quique illa includitur aer  
328 contrahitur, spatiumque ideo minus occupat, et se  
329 cogit in angustum, spatii non ulla vacare  
330 pars datur, haerenti sed succedente repletur  
331 corpore quod reliquum est, alio licet ipsa resistat  
332 illius et sese adversum natura feratur,  
333 ut nihil haud usquam spatii sit inane vacansve.  
334 Sic etiam fluxae trahitur vis humida lymphae  
335 natura adversante sui, si forte perustus  
336 limoso in stagno clausave in valle jacentem  
337 hauserit inclusam terebrato hanc stipite messor,  
338 illa subit, tractusque loci quem deserit aer  
339 occupat, et sursum salientis lubrica suctu  
340 fertur, ut in rebus spatium non detur inane.  
341 Ergo qui innumeros mundos statuere vacansque  
342 atque infinitum spatium quod parva teneret  
343 corpora, conciliis quae inter se haerentia certis  
344 omnia proferrent vitalis lucis ad oras,  
345 errarunt vera longe a ratione remoti.  
346 Quare id quod visum est aliis decernere rerum  
347 de causis mundique ortu scrutemur, et ultra  
348 Pergamus super his illorum exponere sensus.  
349 Atque videnda horum prior est sententia, certae  
350 qui naturae unum esse infinitumque putarunt  
351 corpus, quo caelo ac terris, undisque profundi  
352 sint maris, et primis deducta exordia rebus.  
353 Atque hoc in spatium immensum diffundier extra  
354 moenia convexi corpus flammantia mundi.  
355 Haec vero haudquaquam ratio est his tradita simplex.  
356 Nam diversa alii caelo constare putarunt  
357 natura id corpus, quaeque ex hoc condita primis  
358 corporibus dias venissent lucis ad oras.  
359 Ast alii licet a caeli id statuere alienum,

360 natura. Tamen esse rati sunt una eademque  
 361 corporibus qua unum ex his est, aut liquidus aer  
 362 aut ardens ignis vel aquarum mobilis humor.  
 363 Rite tamen nulli corpus, quo exordia rebus  
 364 prima forent cunctis, infinitumque carensque  
 365 praescripto spatio, caelum, quia tempore certo  
 366 volvitur, et mensura finitum esse necesse est,  
 367 constituerunt esse, quod illud vertier ullo  
 368 non posset certo infinitum tempore corpus.  
 369 Aut igitur natura alia penitusque remota  
 370 materiam a genitis rebus primam esse putarunt,  
 371 aut eadem e tribus est uno quae in corpore primis,  
 372 aere vel liquido aut igni tremulove liquore.  
 373 Sed qui materiam hanc rebus statuere creandis  
 374 hi quoque semoti vera a ratione vagarunt ;  
 375 namque extra caelum cujusvis non datur usque  
 376 naturae esse, ac non infinitum modo corpus,  
 377 sed nec certa etiam cui sit mensura, nec ullum  
 378 omnino, usque adeo e caeli nil finibus exit.  
 379 Et natura illud quo sint exordia rerum  
 380 esse a corporibus cunctis non posse remota  
 381 ardua quae mundi amplectuntur moenia corpus,  
 382 inde patet, certaue potest ratione probari,  
 383 cuncta etenim dum se corrumpunt corpora in illud  
 384 unde erat his ortus demum se exstincta resolvunt.  
 385 Namque id quod rebus fundit primordia cunctis  
 386 corpus idem est illae sua cum se in semina vertunt,  
 387 in corpusque abeunt unde his manavit origo ;  
 388 sed quae dissidium patiuntur corpora, certum est  
 389 non nisi in horum aliquod verti, quae finibus ambit  
 390 immensis late qui amplectitur omnia mundus.  
 391 Ergo id materies fuerit quod prima creandis  
 392 corporibus, dederitque novo primordia mundo,  
 393 diversum a mundi natura haud esse necesse est.  
 394 Quare pars ejus rationis, qua nova rerum  
 395 semina manare ex horum qua ostendimus uno  
 396 corpore decrerunt, similis magis altera vero est.  
 397 Sed qui haec gignendis posuere exordia rebus  
 398 errarunt, horumque etiam sententia longe  
 399 abfuit a ratione, ipsum dum semina corpus  
 400 prima ferens rerum, extra lata existere caeli  
 401 moenia in immensum spatium statuere profundi,  
 402 et sese extendens omnes excedere metas,  
 403 perpetuos fusum in tractus, nec finibus ullis  
 404 comprehensum ; verae prorsus rationis egentes,  
 405 qui spatium hoc ingens mundi immensasque cavernas  
 406 vasto animo augere, et tantos protendere fines  
 407 tentarunt meditando, inque id se extollere mente  
 408 quod nil sit nullove queat consistere pacto.  
 409 Ac si is qui caeli diffunditur undique tractus  
 410 non satis ad speciem naturae ususque fuisset,  
 411 cujus qui norint spatium quamque omnia late  
 412 finibus immensis claudat, non debeat aequae  
 413 quam tanta iis moles esse admirabile quicquam.  
 414 Sed quae corporibus vis est ostendit eadem  
 415 natura haud posse infinitum existere corpus,



416 qua est horum quodvis quod caelum clauditur intra.  
 417 Ex illis etenim aut grave quodque est, aut leve corpus ;  
 418 et gravia in praeceps recta mundique feruntur  
 419 ad medium deorsus pressanti pondere tracta ;  
 420 at contra e medio sursum tendentia recta  
 421 tolluntur levia, eque imo sublata resurgunt ;  
 422 atque intra caelum sic corpore cuncta moventur.  
 423 Ast infinito in spatio non est locus usquam  
 424 omnino medius pars certa aut terminus ullus :  
 425 inde infinitum haudquaquam levitate daretur  
 426 extolli aut pressum delabi pondere corpus,  
 427 dum locus huic superus non usquam aut inferus esset  
 428 quo sese ferret, regio nec certa, neque illi  
 429 hi possent certi prorsus contingere motus,  
 430 qui natura agitant quae claudit corpora mundus.  
 431 Quare ex illorum natura exsistere corpus  
 432 nequaquam id posset certo quod fine careret.  
 433 Ergo sive alia id corpus constare putarint  
 434 natura e genitis rebus, quod certa creandis  
 435 corporibus tulerit genitalia semina cunctis,  
 436 sive eadem qua aer ignisve humorve fuissent,  
 437 esse infinitum nequaquam posse fatendum est.  
 438 Haec de principiis varie decernere rerum  
 439 est aliis visum atque aliis qui devia longis  
 440 per nemora errarunt saeculis altosque recessus,  
 441 dum cupide exquirunt naturae claustra latentis  
 442 ingredi, et arcanas mundi cognoscere causas.  
 443 Nunc age mens hominum quid vestigaverit ultra  
 444 his super, et qua jam late sententia rerum  
 445 de ortu per magnas admissa est undique gentes  
 446 expediam ; juvat in lucos penetrare silentes,  
 447 perque alta umbriferi nemoris deserta vagare,  
 448 dum claro obscura studeo reserare reperta  
 449 carmine, et arenti latices inducere campo  
 450 Aonidum viridi e luco, quo terra liquore  
 451 emittat madefacta novo de gramine flores,  
 452 unde meae insignis pingatur laurea fronti.  
 453 Sed jam quae late invaluit sententia cunctis  
 454 observata diu de ortu dicenda parentis  
 455 naturae, et prima nascentis origine mundi.  
 456 Materiam primam qua rerum corpora constant  
 457 cunctarum in tenues quae oriuntur luminis oras,  
 458 quaeque perempta atri vis leti dura resolvit,  
 459 quattuor in rebus statuerunt, igne, animaque,  
 460 humenti lympa ac terra ; quis cetera gigni  
 461 corpora cuncta rati e primis elementa vocarunt.  
 462 Et conjuncta quidem in reliquis ea quattuor esse  
 463 omnibus, ac genitis confusa admixtaque rebus,  
 464 naturam per se ipsa habeant cum singula certam.  
 465 Hinc fore simplicia in puraque exsistere prima haec  
 466 natura, at mixta et compacta his cetera primis.  
 467 Namque in corporibus cum frigus inesse caloremque  
 468 aspicerent, calida uno eodemque haud posse putarunt  
 469 corpora principio genitali, et frigida oriri.  
 470 Adversatur enim frigus pugnatque calori ;  
 471 sic quoque cum ariditas insit tum liquidus humor

472 corporibus, quae etiam res mutua proelia miscent,  
473 arida non posse atque humentia corpora gigni  
474 principio ex uno, et communi e matre creari.  
475 Quattuor his vero ratio est affectibus illa  
476 per cuncta aeras quae oriuntur corpora in auras,  
477 unus ut adversus sit cuivis de tribus uni  
478 qui superant, reliquis e binis differat idem  
479 alterutri ; porro a reliquis non discrepet hilum.  
480 Nam qua cuncta calent penitus frigentibus obstant ;  
481 at vero haec aut humida sint aut sicca necesse est.  
482 Frigida sunt itidem calidis adversa, sed illis  
483 arida vel vis est aut humens, sic quoque certis  
484 humida dissidiis inter se atque arida certant,  
485 sed natura calens horum vel frigida utrisque est,  
486 unde quater geminos certum est in rebus inesse  
487 quattuor affectus genitis, quae arentque calentque  
488 quaeque hument calida, et quae frigent humida, quaeque  
489 arenti e natura immixto frigore constant.  
490 Quattuor esse igitur statuerunt praedita binis  
491 singula per se rerum elementa affectibus, unde  
492 certa quater diversa foret genialis origo  
493 corporibus, natura creat quae dives et auctat.  
494 Esse autem calidaeque ignem arentisque putarunt  
495 naturae, et lymphae humorem frigere liquentis ;  
496 et tepidum humere aera, magnae frigore brutum  
497 telluris corpus permixto arere parentis.  
498 Quattuor ipsa autem sunt credita corpora cunctas  
499 res supra ortas pura, et qualia prima necesse est  
500 esse in corporibus quae sunt elementa creandis.  
501 Cum vero cunctis eadem sit rebus origo  
502 materiae, ex alioque aliud non ducere corpus  
503 semina principio pote sit, dum exorta quaternis  
504 cuncta e corporibus posuissent semina primis,  
505 quattuor haec etiam esse in re una quaque fateri  
506 juncta necesse fuit, primisque his cetera mixtis  
507 corpora produci ex elementis primaque cunctis  
508 confusa in genitis admixtaque corpora rebus,  
509 inque unum e puris fieri coeuntibus ipsis  
510 materiem rerum quascumque sub aetheris oris  
511 arida producit tellus aut mobilis humor.  
512 Id vero in gignendis solvendisque putarunt  
513 corporibus nosci, dum res per prima viderent  
514 quattuor haec gigni in lucem exstinctasque resolvi.  
515 Suppositis etenim fornax calcaria flammis  
516 dum calet, et duri ardenti torrentur ab igne  
517 inclusi silices, nativum pondus in auras  
518 aetherias abit, atque urendo densa dehiscit  
519 materies, quodque e rapida de marmore flamma  
520 demitur excocto in tenuem sese aera vertit.  
521 At silice ex ipso si ferro alliditur, ardens  
522 scintilla, et calidus frigenti excuditur ignis.  
523 Praeterea in lapidem tellus densatur, idemque  
524 liquidus in marmor densando cogitur humor.  
525 Sic illis igitur visum est elementa creari  
526 per prima haec genitas res corruptasque resolvi.  
527 Namque rudi e terra, tenerove humore coacto

528 fit lapis, unde aer, et candens gignitur ignis.  
529 Sic quoque cum dubii subeunt certamina belli  
530 ferro instructae acies, et totis viribus hostes  
531 mutua consertis exercent proelia dextris,  
532 dum cava terribili tinnitu pulsa resultant  
533 arma, vomunt crebros gladiis tudentibus ignes.  
534 Praeterea duris sonipes calcaribus actus  
535 dum salit, et silices ferratis calcibus urget,  
536 excudit rutilos ignes, soleaque latentem  
537 in tenues acer scintillam dissipat auras.  
538 Defossi quoque pars chalybis rubigine sensim  
539 exesa in terram putrescit, at aera solvit  
540 se pars in tenuem levibusque adjungitur auris.  
541 Idem etiam fornace chalybs ardente liquescens  
542 humorem in tenerum dissolvitur, et nova fusis  
543 ducitur e rivo ferventi forma metallis.  
544 Collisis etiam diffundi cernitur ignis  
545 e trabibus, duraque abstrusam ex arbore flammam  
546 excudi, montesque procul fumare minaci  
547 ventorum impulsu sese allidentibus alto  
548 stipite concusso patulis per mutua ramis,  
549 flammaramque globos undantes suggere in auras.  
550 Denique dum magnos nativa incendia montes  
551 ructare, et calidas in caelum volvere flammam  
552 aspicerent, tepidosque ardenti exurgere fontes  
553 tellure, et magnos antra exsudare vapores ;  
554 sulphureosque lacus vasto cum murmure ab imo  
555 misceri, et rapidis tolli fervoribus undas,  
556 flammaram in genitis abstrudi semina rebus  
557 omniaque ignigenas aestus caelare putarunt.  
558 Tum vero omniferam varia ex humore videbant  
559 corpora naturam molli producere matrem ;  
560 frondosasque comas nemorum stirpesque feraces,  
561 ac veris frondentis opes, et gramina laeta ;  
562 et quae praeterea e fecundis plurima promit  
563 visceribus terra fluvido manare liquore,  
564 et liquidis teneri e guttis coalescere roris,  
565 quae vigor excedens proprius cum exstincta relinquit,  
566 tellurem in putrem partim corrumpier, auris  
567 misceri partim, inque animam transire liquentem.  
568 Compositis igitur cunctis elementa putarunt  
569 quattuor haec ideo conjuncta in rebus inesse,  
570 singulaque immixtis constare his corpora primis,  
571 quod mixtum aspicerent e quopiam oririer ipsis  
572 e primis quodvis se in cetera solvere corpus.  
573 Atque ita dum mixta exoriuntur corpora, dumque  
574 dimittunt primam haec eadem resoluta figuram,  
575 miris juncta modis naturae prima putarunt  
576 omnigenae in quovis mixtorum semina nosci.  
577 Sed jam quae de corporibus sunt tradita primis  
578 quattuor, et longis vulgata admissaque saeculis  
579 quam recta fuerint ratione inventa videndum est.  
580 Idque indagandum in primis, haec ducitur unde  
581 traditio, an quoniam quos supra ostendimus ortis  
582 esse quatergemini affectus variique videntur  
583 corporibus, gigni sic corpora mixta necesse

584 e puris diversi affectus quis quater insint ;  
585 ut quoniam variis distant se affectibus inter  
586 condita, principio possint non omnia ab uno  
587 manare, eque eadem produci corpora matre.  
588 Namque e principio quaedam contingeret ortus  
589 accipere affectus iidem cui prorsus inessent,  
590 principium vero reliquis foret omnibus ipsum,  
591 cui affectus ambo aut esset contrarius alter ;  
592 nam cunctis seu sint naturae corpora mixtae,  
593 seu purae gemini primis e quattuor illis  
594 affectus insunt ; vi sicca humore liquenti,  
595 frigore seu densanti laxantive calore,  
596 ut si corporibus cunctis foret una creandis  
597 materies aqua, quod Graii qui noscere mundi  
598 semina tentarunt quidam statuere priores,  
599 frigida constarent atque uda affectibus iisdem  
600 corpora, prima quibus rerum genitalis origo,  
601 aut arentibus et calidis diversus uterque  
602 affectus, calidis vero atque humentibus alter.  
603 Idque etiam omnino contingeret, omnibus aer  
604 si foret aut tellus genitis aut ignis origo ;  
605 sive etiam ex ipsis duo si primordia rebus,  
606 ut quondam visum est nonnullis, sola fuissent,  
607 aut si forte tria, id fieret quoque praedita quaedam  
608 corpora ut ex aliis quae prima affectibus essent.  
609 Quandoquidem affectus, geminis quis singula constant  
610 corpora, diversi in rebus quater omnibus insunt.  
611 Ergo quater geminis quod sint affectibus ipsis  
612 corpora diverse sese inter praedita, visum est  
613 et dubio procul admissum, prima omnibus esse  
614 quatuor omnino genitis exordia rebus,  
615 cum quibus haudquaquam quae ex his sunt condita partim  
616 corpora convenient, his partim cetera pugnent ;  
617 sed quibus et purae mixtaeque affectibus ipsae  
618 res constant, cum principiis orientia prorsus  
619 corpora convenient, nec ab illis cetera distent.  
620 Haec elementorum ratio ex affectibus iisdem  
621 quattuor inter se diversis, verior inde  
622 praecipue visa est, quod cum sint pura necesse  
623 esse ea corporibus quae sint elementa creandis,  
624 quatuor haec supra quae ostendimus ignis et aer  
625 humorque et tellus, sunt purae credita prorsus  
626 naturae, non plura illis numerove minore.  
627 Id vero haud sensu tantum, sed posse per ipsos  
628 affectus etiam nosci ratione putarunt.  
629 Quod cum affectibus, ut praedictum est, singula binis  
630 puraeque ac mixtae naturae corpora constent,  
631 cumque quater diverse affectus omnibus insint  
632 corporibus gemini, diversis quattuor esse  
633 praedita prima modis sit corpora pura necesse  
634 non minus ac mixta, atque ideo quae semina cunctis  
635 corporibus dederint, elementa fuisse quaterna.  
636 Nunc vero id primum inspiciamus, quattuor illa  
637 quae pura et reliquis sunt prima exordia cunctis  
638 tradita corporibus, tellus, aqua, spiritus, ignis,  
639 an quater inter se diverse affectibus illis

640       constent, ut nequaquam affectibus omnia primis  
641       composita a puris elementis corpora distent,  
642       ut validus siccusque ignis, sit frigida et humens  
643       lympha, calens aer natura atque humidus idem,  
644       omnipara arescens permixto frigore tellus.  
645       Esse autem tales certum est ignemque liquoremque,  
646       ast animae ardorem, telluri frigus inesse,  
647       nec ratio admittit nec vis capit ardua mentis.  
648       Nam quodvis ut sit corpus frigensve calensve  
649       accipimus sensu eque effectu noscimus ipso ;  
650       quare sic demum naturae spiritus esse  
651       credetur calidae, afficiat si admota calore  
652       corpora ; frigentis contra censebitur ipsa  
653       frigore si tellus haerentia corpora denset.  
654       Quandoquidem summe afficiunt frigusque calorque.  
655       Ergo animam calidi si non emittere quicquam  
656       per se ostendemus, sed magnum reddere frigus  
657       nec per se quicquam tellurem frigore matrem  
658       afficere, ac magnum potius praebere calorem ;  
659       contingit stare ut nequeat labemque minetur  
660       quattuor his moles naturae fulta elementis,  
661       dum frigere animam apparet, terramque calere.  
662       Quattuor his primis nequaquam ut quattuor insint  
663       naturae ex primis diversae affectibus illis,  
664       unde patet reliquis haud esse haec semina rebus,  
665       quando corporibus fuerint si exordia plura,  
666       naturas esse his plures variasque necesse est.  
667       Ac prius omnigena est terra de matre videndum,  
668       post animae qua vi constet natura liquentis.  
669       Id vero hac in re attendendum est, in ratione  
670       naturae, affectu quae vis censerier illo  
671       quo per se ac propria vi constant corpora, non quem  
672       accipiunt aliunde, et quo facile afficiuntur ;  
673       praedita enim per se nativo multa calore  
674       frigescunt facile, facileque calentia contra  
675       frigentis quae sunt naturae corpora fiunt.  
676       Nam quae frigidior lympha est natura ? Rigentem  
677       vim tamen ingenitam facile calefacta relinquit.  
678       Illa etenim conclusa utero fumantis aeni,  
679       supposito largos aestus si concipit igne,  
680       aestuatur, ingentique furit tumefacta calore.  
681       At contra quisquam si animantum corpora lymphae  
682       comparat atque animae, per se constare calenti  
683       natura noscet ; nam vita animantibus ipsis  
684       e calido constat, facile tamen illa calorem  
685       nativum rigido torpentia frigore linqunt.  
686       Cum forte in Scythicis brumali tempore campis  
687       horrida tempestas late desaevit, et acri  
688       frigore densatur tellus, montesque nivales  
689       praecipitat gelidus gravidis e nubibus aether,  
690       omne hominum genus, et mutarum saecula ferarum  
691       pertentat subiens ima in praecordia frigus ;  
692       tum multis vita in tenues dilabitur auras,  
693       et concreta calor vitalis corpora linqunt.  
694       Balantumque greges pereunt armentaque laeta ;  
695       et rigido passim volucres ex aethere lapsae,

696 extinctisque coit frigans per corpora sanguis.  
697 Ipsa igitur tellus natura frigida non est  
698 propterea, e liquidis lapsos quod nubibus imbres  
699 dum bibit aut humore alio madefacta liquenti est,  
700 emittit frigus, namque id non reddere tellus  
701 apparet, sed qui natura est frigidus humor.  
702 Ille etenim arenti dum terra emittitur ipsa  
703 afficit admotum torpenti frigore corpus.  
704 Sed nec quod lapidum natura est frigida, terram  
705 vi quoque frigenti omniparam constare putandum est,  
706 ossa themis quamquam cecinit jactanda parentis,  
707 tempore quo undivomo absorptis mortalibus imbre  
708 Deucalion genus humanum reparavit, et orbem  
709 per vacuum lapides jecit, tenuique repente  
710 infusa caluere anima frigentia saxa.  
711 Nam neque qua lapides tellus vi constat eadem,  
712 quandoquidem lapidum haud una est natura, sed horum  
713 diversis valde naturis praedita vis est.  
714 Vis etenim propria est humore carentis arenae.  
715 Gypsus item et calybum venae, et quae talia tellus  
716 educit, propria natura singula constant.  
717 Atque his non eadem qua ipsi visinsita terrae est.  
718 Quare telluris ratio dum quaeritur, illa  
719 excludenda procul sunt, indagandaque purae  
720 telluris vis est, num per se frigora reddat,  
721 an caleat, tenuem ne animam praestetve calore.  
722 Haec vero ut certa possint ratione probari,  
723 praecipue ex sensu dabitur tibi nosce animantum.  
724 Nam cum saevit hiems, et caelo frigidus humor  
725 densatur, canique ruunt e nubibus imbres,  
726 non loca tecta modo exesisque in rupibus antra  
727 arcendam ad pluviam quaerunt, sed viscera terrae  
728 rimantur penetrantque ferae, quis frigora vitent  
729 seque magis calida condant tellure sub ima,  
730 frigus ubi et gelidi devitent vim aeris acrem,  
731 nec temere e latebris rigidae sub tempora brumae  
732 tristia defossis degentes otia terris  
733 in lucem veniunt, caelo ni clarus aperto  
734 sol prodit radiisque patens fulgentibus aer  
735 forte repercutitur, solitoque affecta tepescit  
736 terra magis, densae fugiunt dum ex aethere nubes,  
737 sed contracta cavis gelido procul aere condunt  
738 corpora, vere novo donec producit aperto  
739 terra sinu nitidis distinctas floribus herbas,  
740 et varios promit non uno e semine foetus.  
741 Tunc horrens segni resolutus membra veterno  
742 egreditur, fossasque domos terraeque latebras  
743 deserit, atque situm villis deformibus ursus  
744 excutit, et totum se ad solem lambit apricum.  
745 Et mutum quodcumque genus brumale perhorrens  
746 frigus et acre gelu sub terra conditur ima,  
747 non prius optatam lucem caelumque revisit,  
748 quam calidis gelidus tepefiat solibus aer,  
749 verque hiemem fuget informem glaciemque relaxet.  
750 Ipso igitur quot bruma tegit tellure sub alta,  
751 sub latebrisque gelu vitant animantia caecis,

752 ostendunt tenuem nativo ut bruta calore  
753 exsuperet tellus animam, illiusque tepentem  
754 naturam ex horum dabitur tibi noscere sensu,  
755 et contra ut gelida vi constet liquidus aer.  
756 Id vero ex sensu non tantum nosse animantum,  
757 sed rebus licet ex cunctis tibi cernere, possunt  
758 quas tenuis calor afficere aut penetrabile frigus.  
759 Namque liquens aer, et tellus arida per se  
760 tantum si afficiant, nec solis ab igne calescant,  
761 admotum quodvis animae frigescit ab illa  
762 corpus, idem crebra cinctum tellure tepescit.  
763 Haec tamen ex multis poteris cognoscere rebus  
764 arida quas tellus aut humidus aspicit aer,  
765 praecipueque patent e mollis corpore lymphae.  
766 Haec etenim nostrum cum sol obliquius orbem  
767 despectat, radiosque minus concreta rigenti  
768 terra gelu in liquidum Phoebos aera reddit,  
769 visceribus venisque magis calet abdita terrae.  
770 At quae per campos sese diffundit apertos,  
771 et tenerae vacuis animae conjungitur oris,  
772 non modo vim retinet gelidam, sed saepe nitentem  
773 in glaciem, pigrumque gelu concreta rigescit.  
774 Unde patet celerem ut sistant labentia cursum  
775 inque novum subito concrecant flumina marmor ;  
776 utque vagus tumidum magno cum turbine in aequor  
777 volvere praecipites suetus Danubius undas,  
778 sol ubi decedens udum declinat ad Austrum,  
779 frigescens lymphae qua dorso spiritus haeret,  
780 caeruleas coit in crustas glaciemque rigentem.  
781 Ipsum etiam ad septem tellus qua extensa Triones  
782 cingitur offusus pallet dum nubibus aer,  
783 adversoque nitet Phoebi fax fulgida in orbe,  
784 Oceanum stringi perhibent, vitreamque coire  
785 in glaciem, et late undisonum concrescere marmor.  
786 Ergo quod junctum corpus tellure calescit  
787 ut gelidum id reddit nativa spiritus haerens.  
788 Quapropter tellus animae collata liquenti  
789 non modo non gelida est, illi sed frigus inesse  
790 censendum ; contra, quantum non sole tepescit  
791 admoto, tenuis natura spiritus alget.  
792 Atque etiam si quis per se consideret ipsum  
793 omnivagum, siccae nec comparet aera terrae,  
794 constabit naturae illum non esse calentis,  
795 sed gelidae omnino, et rigido qui frigore terram  
796 non ipsam tantum, terrenaque corpora vincat,  
797 sed videatur aquis etiam non esse rigenti  
798 natura inferior, frigereque non minus illis,  
799 admotumque acri perstringere frigore corpus.  
800 Ipse autem usque adeo per sese est frigidus aer,  
801 illius ut frigens stringat vis sola pruina,  
802 producatque nives gelidas ; tenerumque liquorem  
803 grandinis in durae crepitantia corpora vertat.  
804 Atque adeo certum est vi animam constare rigenti,  
805 ut madidam sese tenuis qui colligit humor  
806 in pluviam, solito cum fit sublimior, astu  
807 in medio quoque densetur, concretaque fiat

808 grando, et flaventes late prosternat aristas ;  
809 quandoquidem terrae qui obducitur infimus aer  
810 quantum eadem solis radios percussa coruscos  
811 reflectit tellus calefit, gelidamque relinquens  
812 naturam, emittit calidos quos concipit aestus ;  
813 praecipue aestate in media, vehementior ille  
814 aera cum pulsat reflexus, quod ferit ipsam  
815 tunc minus obliqui solis vis ignea terram.  
816 Altior ast aer quo non pertingere solis  
817 reflexus potis est, friget, semperque rigenti  
818 vi constat, quoniam natura est frigidus aer.  
819 Nec secus ac mollis reddit frigentia liquor  
820 admota et gelida vi stringit corpora, quo fit  
821 ut pluvius coeat fluor, et concreta rigente  
822 aere praecipitet magno cum turbine grando.  
823 Quapropter plane constat, per se aera quodvis  
824 afficere admotum torpenti frigore corpus,  
825 naturaque illum prorsus frigere, suaque  
826 reddere vi magnum quocumque in tempore frigus.  
827 Quattuor ergo illis ratio ex affectibus inter  
828 sese diversis nil rebus quattuor ipsis  
829 convenit exortis quae sunt exordia prima  
830 tradita corporibus cunctisque elementa creandis.  
831 Namque nec humor inest calidus nec frigida in illis  
832 ariditas, cum et lympham fluens et mobilis aer,  
833 quae sunt humentis naturae, vi quoque per se  
834 frigenti constant, ex his quae ostendimus, ambo.  
835 Ipsa autem cuiusvis arens est insita tellus  
836 sit potius calidae naturae qualis et ignis.  
837 Quod si ut deductum est, ea corpora quattuor, ima  
838 tellus, et mollis liquor, aer, ac levis ignis,  
839 quattuor haud primis sunt his affectibus inter  
840 se diversa quater, naturae corpore quales  
841 quattuor in genito certum est existere quovis,  
842 omnino constat non haec affectibus esse  
843 e primis ipsis orto in quocumque quaternas  
844 corpore naturas, cunctis elementaque prima  
845 ac rerum omnino si exordia plura fuissent,  
846 diversa inter se, et natura singula, vique  
847 esse sua, a reliquis foret differre necesse.  
848 At vero haudquaquam sunt talia quattuor illa  
849 corpora, sed cum alio natura singula eadem.

.../...



## DE PRINCIPIIS RERUM. LIBER SECUNDUS.

P\_2 v.1 Corpora qui primus descripta pingere forma,  
 2 certum opus assimilans studuit, pingensque referre  
 3 naturam, humanae digitum circumtulit umbrae,  
 4 lineaque oppositum conspecta est ducta referre  
 5 corpus, et effigiem similem sic ponere vero.  
 6 Hinc rerum species imitari certius arte  
 7 inventa, et molles alii miscere colores  
 8 coeperunt, propriumque decus sensim addere formis ;  
 9 conati certum pingendo ostendere morem  
 10 naturae, atque umbras rerum monstrare sequaces.  
 11 Unde ipsos modo non spirans elusit imago  
 12 artifices, nativa ratos se ponere, pictor  
 13 quae vafer in tabulam mira deduxerat arte.  
 14 Sic hominum incipiens sensim mens daedala partes  
 15 certius expressas picto est imitata, rudisque  
 16 succedens vitia expoliit solertia saeculi,  
 17 tantum acuit longo ingenium se tempore, dulci  
 18 dum demonstrandi naturam flagrat amore.  
 19 Sic et qui arcanos ortus ostendere rerum  
 20 primaque nascentis coepere exordia mundi  
 21 ex aliis alias naturae ducere causas  
 22 aggressi, varie super his statuere, diuque  
 23 certarunt penitus rationem exquirere veri,  
 24 et caeca eripere humanas caligine mentes,  
 25 donec longa dies, variosque exculpta per usus  
 26 mens iter invenit veri ad sublimia templa,  
 27 et certas rerum, quantum non impedit aegra  
 28 mortalis ratio, causas ostendit, et ortus,  
 29 quae modo tam densis procul inde ambagibus actis,  
 30 abdita naturae cupientes claustra subire,  
 31 ante oculos interque manus exposita tuentur,  
 32 omnia Pierio a nobis conspersa liquere.  
 33 His igitur statuendum est perspicueque tenendum  
 34 quid sit quod dicunt elementum, et vis ratioque  
 35 est ejus scrutanda rei noscendaque primum,  
 36 ut plura, anne unum sint rerum semina corpus.  
 37 Utque illud cunctis fuerit quod origo creandis  
 38 corporibus reliquis liceat discernere quid sit,  
 39 atque animis rerum naturam noscere aventum  
 40 haec monstrare novo ac dulci comperta labore.  
 41 Ac ratio omnino duplex est corporum in ipsis  
 42 principiis ex materia, ex formaque petita,  
 43 et nunc materiae primos tractabimus ortus  
 44 semina quae mundi rerumque elementa vocamus.  
 45 Porro id cum liquido, naturae conditor ausis  
 46 annuat his tantum, et vera ratione probarim,  
 47 tunc demum qua sint ostendam exordia formae.

48 Principium namque id rebus datur omnibus, ex quo  
49 progenitis primus reliquis deducitur ortus,  
50 atque in quod redeant demum resoluta necesse est.  
51 Et talis cuncti naturae elementa putarunt,  
52 ut vocum primas, quarum quod quaeque figura  
53 sit signata sua deductum est littera nomen ;  
54 prima elementa vocant primis quod vocibus his fit  
55 cuncta oratio, ad extremumque resolvitur ipsas  
56 illius sonus in voces, unde illi erat ortus.  
57 Talia enim haud rerum cunctarum corpora prima  
58 esse queunt, si plura ea sunt, ut detur in illis  
59 esse gradus quosdam, per quos concreescere possint  
60 dissolvique eadem, aequae alio primordia sumat  
61 ex ipsis aliud, nam quod sua semina ducit  
62 ex alio, non est reliquis id rebus origo.  
63 Syllabae enim vocem efficiunt, minime tamen ipsae  
64 sunt verborum elementa, quod haudquaquam datur, ortum  
65 ut primo tradant hae verbis litterae ut ipsae,  
66 et neque in extremas oratio solvitur illas.  
67 Syllabae et ex ipsis vocum fiunt elementis,  
68 inque eadem demum redeunt extrema solutae.  
69 Quapropter primis oratio manat ab illis,  
70 non etiam ipsae sunt verborum syllabae origo.  
71 Sic in principiis naturae haud est elementum  
72 id corpus quo non contingit cuncta creari  
73 ex primo, aut in idem extremum resoluta redire,  
74 fitque ipsum ex alio, inque aliud se solvit ab itque,  
75 sed prima id prorsus genitis est rebus origo  
76 atque elementum, ex quo, ut dictum est, concreescere primo  
77 cetera, in extremumque resolvier omnia certum est.  
78 Ipsumque ex alio nequaquam semina ducit,  
79 inque aliud nulla sese ratione resolvit.  
80 At reliquis si prima quidem quis semina rebus  
81 plura elementa esse, haec credat tamen ipsa creari  
82 inque vicem solvi, vera a ratione recedit.  
83 Ni recte is dici in lapidem dissolvier undam,  
84 ac terram putet e ligno concreescere putri ;  
85 sed lapides contra recte ex humore creari  
86 dicuntur, lignumque in terram putre solvi.  
87 Sic cum ex unda aer fit, nequaquam ille creatur  
88 ex humore, sed in lympham dissolvitur aer.  
89 Cum vero fit aqua ex anima, non solvitur undae  
90 in naturam aer, ex hoc sed cogitur humor.  
91 Ergo aqua cum fit, eam concreescere ab aere certum est.  
92 Atque hunc in lympham minime dissolvier, ipso  
93 contra, ubi fit, nequaquam anima ex humore creatur.  
94 Laxando tenuem sed in aera solvitur unda.  
95 Non ullum vero se vertere corpus in unum  
96 alterum idem dabitur, solvendo itidemque creando,  
97 sed quodcumque aliunde creatur, constat id ipsum  
98 in corpus, dissolvendo non ire creando.  
99 Quod se solvit in alterum, id ipsum rursus ab illo  
100 concreescens non se solvens prodire fatendum est.  
101 Quapropter nequeunt elementa, nec ulla creari  
102 mutuo, et haec eadem sese inter corpora solvi.  
103 Quod si elementa ortis reliquis sunt semina prima

104 corporibus, nequeuntque inter sese illa vicissim  
105 concretu fieri, atque in idem resoluta redire,  
106 atque omnes concretæ res cunctæque solutæ  
107 posteriores iis sunt, ortus unde creatæ  
108 duxerunt illæ, atque in quæ rediere solutæ,  
109 haud dubio apparet, quod supra ostendimus, illud  
110 esse elementum, ex quo rerum concretio primo  
111 atque in quod postremum fit resolutio, et ipsum  
112 concretum non est, nec quod dissolvitur umquam.  
113 Quare his quæ haud dubia et clara ratione probantur  
114 perspectis, via certa patet, qua nosse elementum  
115 principiumque datur, quo rerum copia manat.  
116 Nam cum naturæ quasitis partibus, illud  
117 compertum fuerit corpus quo cuncta creantur  
118 ex primo, et quod in extremum omnia dissoluuntur,  
119 hoc elementum esse, et cunctis hinc semina duci,  
120 corporibus certo liquet, et res indicat ipsa.  
121 Ergo creandi quod præstat primordia corpus  
122 et dissolvendi finem videamus, ut illud  
123 principium exortis detur genitabile rebus.  
124 Id vero hac in re valde est dubitabile, an ignis  
125 cuius materia apparet tenuissima, primis  
126 sit ne ex corporibus, prima est ut quattuor inter  
127 corpora decretum, quando concreta per ipsum  
128 ignem præcipue dissolvi corpora certum est.  
129 Atque id magnopere est mirum, posuere quod ignem  
130 corporibus primis ex illis quattuor unum :  
131 quod minime liquet an natura est præditus ignis  
132 corporea ; ac magis est illud dubitabile num sit  
133 corpus, quam primis unum si ex quattuor illis.  
134 Quare est noscendum in primis, corpusne sit ipse  
135 ignis ut et tellus undæque et liquidus aer.  
136 Ac talis prorsus natura est corporis, insint  
137 ut species illi quævis, haerendoque se illic  
138 contineant et sit speciei subdita prorsus  
139 materies cuius, corpus quam sumpsit id ipsum.  
140 Porro quicquid inest natura corpori, et illi  
141 insidet, haud corpus, species sed corporis hoc est,  
142 corporeamque esse speciem haud pote corpus eandem.  
143 Ac nova naturæ cum forma accesserit ipsi  
144 corpori, ab hoc prior evanescat forma necesse est ;  
145 nec ratione queunt ulla subjecta in eadem  
146 materia incolumes distinctæ existere formæ  
147 rerum, quis varius naturæ contigit ortus.  
148 Sæpe autem incertis penetralem cernimus ignem  
149 corporibus, rutilo quoties ardere calore  
150 contingit validas quercus, ferrique metalla,  
151 et salices duros, namque hæc cum fervidus ardor  
152 afficit, et valido ignescunt correpta vapore  
153 sunt eadem nec ab igne prior sublata recedit  
154 forma illis, ac non ignis sed ea ignea fiunt ;  
155 atque ignis non ut naturæ propria forma,  
156 certa sed ut species est ipso in corpore inhaerens,  
157 dum natura illic alia est quæ in robore tosto  
158 insidet aut ferro, vel in his quæcumque colorat  
159 ardor, et irrepens ignis color aureus ambit.

160 Non etenim una dari poterit, quod diximus ante,  
161 materia ut teneat naturas subdita binas.  
162 Ergo cum ipsius talis natura sit ignis,  
163 ut certo insideat cui sit sua corpora forma,  
164 quodque sua consistat vi ; liquido patet ignem  
165 nequaquam corpus speciem sed corporis esse ;  
166 nec constare sua per se vi posse, sed ipsum  
167 omnino certis haerendo in rebus inesse ;  
168 et quodvis propria corpus constare necesse est  
169 natura, et certa per se consistere forma.  
170 At vero si qui non hunc quem cernimus ignem  
171 esse id contendant primum genitabile corpus,  
172 sed procul a nobis alia in regione locatum ;  
173 quam nequeunt sensus mortales cernere, et illum  
174 ignem elementum purum esse, et super omnia simplex ;  
175 id posse haud ullo certum est contingere pacto,  
176 quandoquidem certum si usquam esset corpus, idem esse  
177 nulla alibi posset ratione quod accidit ipsi  
178 corpori, et a nobis species quod dicitur haerens ;  
179 quod minime in rerum natura sit dare quidquam  
180 quod certum per sese alibi sit corpus, idemque  
181 sit species alibi subjecto in corpore inhaerens,  
182 quare omnino ignem corpus non esse fatendum est,  
183 quod speciem constet subjecti hunc corporis esse.  
184 Nec pote corporeum est ullis regionibus ignem  
185 ardere, et celsi subter nova moenia mundi  
186 hoc elementum esse, ac vana est ea fabula, mentes  
187 implicitas longis caecas ambagibus urgens.  
188 Nec magis id vera ductum a ratione putandum est,  
189 quam caelo advectum terris, fictoque dedisse  
190 mortali infusam vitae primordia flammam ;  
191 tempore quo primum delato ex aethere fertur  
192 incaluisse suo tellus defecta vapore ;  
193 et vafrum aerias ausum conscendere sedes  
194 et Phoebi proprius flagrantem accedere currum  
195 subduxisse ferunt caelesti ex arce Prometheum,  
196 fomite servatum arenti, optatumque tulisse  
197 aethereum cassis terreno gentibus ignem.  
198 Ac dum naturae rationem quaerimus, illud  
199 valde advertendum est, illos quod convenit inter  
200 arcanos suevere ortus qui exquirere rerum,  
201 naturae ipsius rationem rebus ab illis  
202 praecipue duci, sensus quas indicat, haecque  
203 certa est e sensu ratio qua redditur ipso.  
204 Sensus enim sic cuncta trahit, sic cernit aperte,  
205 ut facile nequeant ea quemquam fallere quae sint  
206 sensibus exposita, et cunctis hoc cognita pacto.  
207 Ergo longe illi vera a ratione vagarunt,  
208 quis late ex ipsis apparet sensibus, ignem  
209 nequaquam corpus, speciem sed corporis esse.  
210 Corporeumque illum, et per se constare putarunt ;  
211 quod sentire illis nusquam nec contigit ulli.  
212 Quapropter certum si esset vis ignea corpus,  
213 ante oculos cunctis obversaretur id ipsum :  
214 praesertim ex primis si esset genitalibus illis  
215 ac neque semotum a nobis sed sensibus esset

216 objectum, et facile attactu, passimque pateret,  
217 tellurem veluti atque humentem cernimus undam  
218 corporibus constare suis, ipsumque liquentem  
219 aera, non facile quamquam sit visibilis ille.  
220 At ne quis proprie flammam esse existimet ignem,  
221 corporea cum sit specie, quod corpora quaevis  
222 verberat opposita, atque ex his reflectitur illa,  
223 igni propterea certum contingere corpus,  
224 ostendemus quo pacto sit corporis ignis  
225 subjecti forma, quiddamque quod accidit illi,  
226 ipsius seu dura ignis, tenuissima seu sit  
227 materies, qualem aspicimus contingere flammae.  
228 Et cum crassa quidem sint ignea corpora, quale  
229 aut lignum, aut ferrum, aut ea sunt qua diximus horum  
230 de genere, haud dubia constat ratione probari  
231 certi quin habeat naturam corporis illa  
232 ignea materies, ut ligni aut aeris, et ipsum  
233 illius speciem certi fore corporis ignem ;  
234 at cum materia est ipsius tenuior ignis,  
235 hoc est candenti rutilans e corpore flamma,  
236 ipse etiam est species cujusdam corporis ardor,  
237 idque ipsum constat genitum ex aere corpus.  
238 Quo tamen id fiat pacto tibi nosce licebit  
239 cum flammam aspicias orientem, utque excita surgat,  
240 et tremulum ardenti splendorem ducat ab igne ;  
241 nam cum materiam quamvis ita corripit ardor  
242 igneus, ut flammae candentes excitet undas,  
243 illam dum penetrans ignis depascit, id ipsum  
244 ardendo in tenuem dissolvitur aera corpus,  
245 in ventosque abit, et teneris jungitur auris ;  
246 is vero ardenti fulgens qui e corpore prodit  
247 spiritus, ut primum aeris exhalatur in oras  
248 igneus, et tremulo rutilans est flamma nitore,  
249 mox anima a reliqua circum quae effunditur, ille  
250 exceptus, calidam quae inerat vim deserit, et se  
251 frigerat, in mollesque auras flamma ipsa recedit,  
252 et color undantis remanet fumi, aera donec  
253 in purum vapor, et nitidas dissolvitur auras.  
254 Saepe etiam haud flammae specie tenuissimus aer  
255 ipse sed ardenti fumus de corpore prodit,  
256 cum minus arescunt quae fervidus ardor adurit ;  
257 aereque e tenui constat qui emittitur ipso  
258 halitus ardenti de corpore, seu color ater  
259 sit caligantis fumi seu flamma coruscans.  
260 Quapropter corpus per se non esse fatendum est,  
261 sed speciem certam subjecti corporis ignem.  
262 Atque ea materies, cui ut diximus accidit ardor,  
263 corporis est certi semper, seu crassior haec sit  
264 ut lignum ac lapides ac vis durissima ferri,  
265 aut levis, in flammam ut surgens spiritus, ardens  
266 quem calor exhalat tenuesque resolvit in auras.  
267 Ii quoque qui vacui nascuntur in aeris oris,  
268 inque illa apparent ignes regione micantes,  
269 post modo quo fiant pacto ostendemus, et apte  
270 dicemus, quae vis, et quae natura sit illis.  
271 Materies tamen omnino est his spiritus, acris

272 ut flammae, puroque accenso ex aere constant.  
273 Ut cum flammanti contingit lumine caelum  
274 ardere, ac facibus subito fulgere coortis,  
275 accendique cavas nubes, ductaque repente  
276 fulminea aeras auras splendescere rima.  
277 Aut cum terribili vi candens fulminis aether  
278 emittit tremulo flammam fulgore coruscas ;  
279 unde homines tacti pereunt, armentaque passim  
280 exanimantur, eoque ruit cum murmure, ut ipsas  
281 conquasset turres, avellat tigna, domosque  
282 disturbet, validoque altis petat impete silvas,  
283 nec duras obsistunt quercus, innoxia tantum  
284 virginea ingenti servatur laurus ab ictu.  
285 Ergo ardet rutilisque nitescit ab ignibus aer,  
286 ignivomaeque micant accensae lampade nubes,  
287 et passim volucres volvuntur in aethere flammae.  
288 Quapropter quoniam manifeste ostendimus ignem  
289 corpore nequaquam constare, undasque liquentes  
290 et gravida tellurem haud esse elementa, videndum est,  
291 anne unum sit rerum elementum, idque unicus aer,  
292 illeque corporibus cunctis genitalis origo.  
293 Quando praeterea corpus non cernimus ullum  
294 principium dare gignendi, sed corpora ab illo  
295 produci, et reliquis hinc esse exordia rebus.  
296 Ergo aer per se si tale est corpus, ut ullum  
297 in corpus sese aliud non solvat, et ipse  
298 numquam concrevens quovis ex corpore fiat,  
299 sed solvendo, liquet non umquam posse creari  
300 aera nec solvi ; atque ideo qua cuncta creantur  
301 inque aliud sese dissolvunt corpora, ab illo  
302 principio fieri, rerumque hunc esse elementum.  
303 Sed dubio procul et manifesta in luce videmus  
304 corpora dum quaevis solvuntur, in aera verti  
305 haec eadem, corpusque dari non amplius ullum  
306 in quod sese aer idem dissolvit, in ipso  
307 sed dissolvendi extremo contingere finem.  
308 Nullo autem pacto solvi magis omnia certum est  
309 corpora, quam rapida vi ignis tenuique calore.  
310 Idque vides latera undantis cum lambit aeni  
311 ignis edax, ut lympa acri penetrante calore  
312 commota, in teneras fervendo solvitur auras,  
313 nec spatio angusto capiens sese amplius, alte  
314 permixtas voluit bullis crepitantibus undas ;  
315 quodque illi a calida sensim vi demitur, udo  
316 cum fumo in tenuem volitans sese aera solvit.  
317 Ipso etiam pater oceanus qui amplectitur amplam  
318 tellurem et late in vastum diffunditur aequor,  
319 quod gremio innumeros fontes, et flumina tellus  
320 quot parit immenso capit, haudquaquam additur illi  
321 humoris quicquam, nec aquae fit copia major,  
322 sed dum flammifero ferit ipsum lumine Phoebus,  
323 verberibusque quatit radiorum, uritque coruscis  
324 ignibus, exsiccat rapido solvitque calore  
325 lympharum quidquid salsas maris influit undas,  
326 aeraque in purum, et liquidas id vertit in auras.  
327 Sic etiam ingentem statuit cum evertere silvam

328 agricola, ut possit curvo proscindere aratro,  
329 atque apta uberibus nova reddere frugibus arva,  
330 hanc valida cedit primum sternitque securi,  
331 inde ardens rapido flagrat cum Sirius aestu  
332 fragminibus rutilum congestis subjicit ignem,  
333 qui tenues primum frondes, atque arida pascens  
334 virgulta, in ramos elapsus robora dura  
335 corripit, arboreamque struem populatur, et omnem  
336 involvens flammis silvam, furit undique caelo  
337 candentes undas mixta caligine tollens ;  
338 isque ubi desaevit late, victorque per imas  
339 irrepsit quercus, jamque acri pabula desunt  
340 ardori, et minuunt paulatim incendia vires,  
341 materies ingens, magnaecumque cadavera silvae,  
342 in cineres partim ventis agitanda recedunt.  
343 Inque animam reliqua, et volucres solvuntur in auras.  
344 Nonne vides etiam si forte incautus arator  
345 condidit, aut madidas paleas aut humida prata,  
346 pabula defessis hiberno in tempore bobus  
347 quo paret, incaluitque humor, penitusque repostis  
348 fit mucor stipulis, taetrum qui exhalat odorem,  
349 extrahat ut magnis putrem fenilibus ille  
350 congeriem, latum in campum, flammaque voraci  
351 corripiat, circum incipiens quae lambere sensim  
352 irrepit, penetratque intra, atque incendia late  
353 dissipat, inque leves ventis glomerantibus auras  
354 intima depascens cum fumo volvitur atro,  
355 quique erat e paleis modo mons absumptus ab igne  
356 quantum non cinis exiguus fit, se aera solvit  
357 in vacuum, et levibus miscetur spiritus auris.  
358 Nec non et pulvis flammis velocibus esca  
359 sulphureus rapidos quo nil violentius ignes  
360 concipit et longe mixta caligine differt,  
361 tormento immissus flammaque arreptus, in atram  
362 solvitur aeriam nebulam, spatioque receptus  
363 angusto in tantum convertitur aeris, ut se  
364 impete cum vasto late diffundat in auras,  
365 ac solida ignivomo pila ferrea clausa colubro,  
366 vis animae erumpens illam cum ferrea torquet,  
367 ocior et ventis rapidis, et fulmine fertur,  
368 unde altae nubes, et liquidus intonat aether,  
369 et gravis horribili quatitur terra ipsa tremore ;  
370 quin etiam valido sternuntur moenia ab ictu  
371 sublimesque ruunt vastis cum turribus arces.  
372 Quod saepe antehac, et licuit nunc cernere magnus  
373 cum pia bella movens, et justa accensus ad arma  
374 Carolus undisonum constravit navibus aequor,  
375 et geminae Hesperiae collecto flore suisque  
376 Germanis Libyae venit sitientis ad oras,  
377 praedonumque ducem immanem qui e sedibus Afrum  
378 expulerat regem patriis, sceptroque potitus  
379 per populos late victor regnabat, et urbes,  
380 et Turcas socios Tuneti compulit intra  
381 moenia se clausis trepidos defendere portis.  
382 Hic liquido patuit, claustro resolutus aeno  
383 spiritus erumpens quanto furit impete, et in quod

384 sese ingens quali vertit cum turbine corpus,  
385 cum turrita arcis moles quae ingentia circum  
386 stagna refusa mari pelagusque attollitur ipsum,  
387 aggeribus validis vallata, atque ardua latis  
388 moenibus, antiquae urbis propugnacula magnae  
389 terrificos passa est ictus quos aenea monstra  
390 fuderunt, celsas quatientes murmure nubes ;  
391 emissi visa est vis ingens aeris illa  
392 fulmineas deferre pilas, atque omnia late  
393 proruere, et solidas valide prosternere turres,  
394 multa virum subdens decussis corpora muris.  
395 Ipse videbatur violentis ignibus aer  
396 ardere, et crassa impleri caligine caelum.  
397 Arx crebro icta ruit, passimque impulsa fatiscunt  
398 moenia, praeruptasque implent labentia fossas.  
399 Infima quassatur tellus, tonat arduus aether,  
400 Africa terribili tremit horrida terra tumultu,  
401 vi tanta erumpit clausus dum solvitur aer.  
402 Magnopere hic ingens posuit vis aeris illa,  
403 et vis dura virum per aperta pericula caeco  
404 pectore, et intrepide per funera certa ruentum.  
405 Praecipue tamen enituit memoranda parentis  
406 aetheri pietas, dextro qui lumine gentem  
407 aspexit, fovitque piam dum ad proelia vires  
408 addidit, atque animos sceleratum accendit in hostem,  
409 oppressus validae qui invicto robore turmae,  
410 deficiensque animis, dat laxis turpia habenis  
411 terga fugae, nec jam se pugnae credidit ultra ;  
412 innumeroque licet stipatus milite, vires  
413 expertus validas, et nescia pectora vinci  
414 per deserta pavens, et siccas fugit arenas.  
415 Ast urbem ingressus ducens victricia Caesar  
416 agmina foedifragi fera pectora contudit hostis ;  
417 et patriae ejectum regem solioque reponens,  
418 extremosque suum pervulgans nomen ad Afros,  
419 reddidit imperio Poenorum regna Latino.  
420 Sed longe incepto divertimus, incllyta magni  
421 Caesaris, hesperiique juvat dum facta referre  
422 militis, et tanti successum extollere belli ;  
423 dumque ex accensi vi ingenti ostendimus atri  
424 pulveris, in tenuem ut sese aera corpora solvant ;  
425 id vero haud dubia constat ratione, patetque  
426 ad sensum, et liquido manifesta in luce probatur.  
427 Quod superest, anima ostendemus corpora eadem  
428 produci, atque ipsum rebus solum esse creandis  
429 aera principium cunctis certumque elementum.  
430 Hanc vero hoc poteris rationem noscere pacto ;  
431 res inter genitas, certum est existere primas  
432 undam, ac terram ; quas etiam, quod cetera gigni  
433 corpora cernebant ex his, elementa putarunt.  
434 Et tamen ex anima manifestum est illa creari ;  
435 Namque liquens ipso concrecit ab aere lympa ;  
436 haec etenim cum se densando colligit, humens  
437 in corpus coit, atque in stillas cogitur udas ;  
438 tum liquidis passim convexi ex aetheris oris  
439 labuntur teretes depressae pondere guttae



440 ad terram, pluvioque madescunt omnia rore,  
441 concretoque ferax perfunditur aere tellus.  
442 Atque ipsum aspicimus post caelum saepe serenum  
443 aera turbari subito, totumque coortis  
444 nubibus obfundi, atque imbres effundere largos,  
445 quis perfusa madet tellus, siccisque liquenti  
446 aethere delapsam per venas concipit undam.  
447 Praeterea stillas saetis qua e mollibus ora  
448 ad bovis exiguae pendent, ex aere constat  
449 concreto gigni bove qui spiratur ab ipso,  
450 dum coit in guttas flatus, lymphamque fluentem ;  
451 praesertim riget hiberno cum frigore caelum.  
452 Ergo ex his constat, concretus ut ipse liquorem  
453 spiritus in fluidum, atque in spissas vertitur undas.  
454 Quod vero ostensum est in lymphâ, cernitur ipsa  
455 in tellure etiam, et si non tam saepe coacto  
456 ut crassum corpus genitali ex aere fiat,  
457 cum lapsa e caelo guttis pluit illa cruentis,  
458 concretique rubet per campum sanguinis instar ;  
459 hinc pavor ille rudis vulgi crudelia adesse  
460 fata rati, exitiumque illinc mortalibus ingens  
461 portendi, attoniti quod non contingere crebro  
462 id videant, et mira pavent, humilique frequentes  
463 cum prece solemnes adeunt, et vocibus aras ;  
464 prodigiumque atrox credunt, lacrimisque piandum.  
465 Quare anima e tenui terram concrecere certum est ;  
466 quapropter quoniam humens lymphâ atque arida tellus  
467 quae reliquis liquido patet esse priora creatis  
468 corporibus tenero concretae ex aere fiunt,  
469 haud dubie constat, rebus certum esse creandis  
470 aera principium reliquis unumque elementum  
471 corpora quo e primo genitalia cuncta creentur.  
472 Sed jam de caeli natura nobilis illa  
473 arduaque et late per magnas dissita gentes  
474 quaestio tractanda est, ejusdem an corpus id ipsum  
475 sit naturae, atque id genitis quod diximus unum  
476 principium fore corporibus rerumque elementum,  
477 an sit ex anima caelum, ex illoque creatum  
478 principio, an constet per se, ingenitum inque creatum  
479 sit prorsus, nullisque umquam mutabile saeculis :  
480 naturae ipsius penetramus ad intima, summis  
481 perquisita diu ingeniis, avidaeque petita.  
482 Tu mihi tu caelique parens terraeque repertor  
483 tantum opus, et prima da certa ab origine mundum  
484 pandere ; tu vires tribuens ingentibus ausis,  
485 ignarumque viae tua per vestigia ducens,  
486 discute mortales tenebras, et pandere verae  
487 da rationis iter, radiisque offunde supremi  
488 numinis, unde rudi spiretur flatus avenae.  
489 Antiqua et longis vulgata est undique saeculis  
490 corpore de caeli ratio, cunctisque recepta  
491 quorum animos sophiae perdulcis perculit ardor,  
492 quod sit natura constans minimeque caducum,  
493 et quod non ullo valeat mutarier aevo ;  
494 corrumpatur enim prorsum intereatque necesse est  
495 quicquid mutatur, nec statu constat eodem.

496 Ast id quod numquam afficitur, sed par sibi durat,  
497 et semper simile est, non vi corrumpitur ulla,  
498 sed persistit idem, atque omne immortale per aevum.  
499 Per longa est vero observatum saecula, sicque  
500 res habet omnino, spatiis ut semper eisdem  
501 moleque Sol fuerit rutilans, et candida Phoebe,  
502 et reliqua immenso radiant quae lumina mundo,  
503 tempore nec quicquam accessisse his corporis ullo  
504 detractumve aliquid cunctis tum prorsus eadem  
505 luminibus speciem et primum mansisse tenorem ;  
506 atque id tum cuncti affirmant, tum sidera nusquam  
507 immutata aliquo compertum traditur aevo ;  
508 quare ex perpetua qua corpora semper eadem  
509 mensura ac specie ut certum est caelestia constant,  
510 decrerunt naturam his non mutarier umquam.  
511 Praeterea e motu rationes sumere quidam  
512 caelesti atque alias tentarunt tradere causas,  
513 quis liqueat caelum esse aliud differreque rebus  
514 a reliquis longe, et quod non mutetur, idemque  
515 permaneat semper, cunctis praestantius unum  
516 quis tenor haud certus nec status contigit idem.  
517 Maxime enim cum sit perfectus motus in orbem  
518 quod sic cumque agitur natura corpus, id ipsum  
519 corporibus dicunt reliquis praestare, feruntur  
520 quae recto per se motu sursumve deorsumve,  
521 atque ipsum circumduci volvique suapte  
522 natura caelum, diverso cetera motu  
523 corpora sustolli levitate aut pondere labi,  
524 cum tamen haec uni nequeant contingere caelo,  
525 quod minime sursum recta ferrive deorsum  
526 sed suo agi tantum motu contingat in orbem.  
527 Proptereaque ipsum propria constare, aliaque  
528 a reliquis fore natura, differreque longe  
529 corporibus, varie quae obitu mutantur et ortu.  
530 Praeterea numquam caelum corrumpier ipsum  
531 posse, creatumve haudquaquam genitumve fuisse,  
532 quod rebus reliqua ex adversis omnia constet  
533 corpora produci, atque eadem in contraria solvi :  
534 coelestis vero naturam hanc corporis esse  
535 non ullum ut corpus queat adversarier illi  
536 a quo vel primos ipsum deduxerit ortus,  
537 vel quod in extremum possit tandem ire solutum,  
538 quod natura inter sese contraria quaevis  
539 motibus adversis omnino corpora agantur,  
540 altera dum tendunt in praeceps, altera surgunt ;  
541 caelesti autem cui proprium est ut agatur in orbem  
542 motui sit minime motus contrarius alter,  
543 in rectis veluti contingit motibus, ut sit  
544 in praeceps motus surgenti adversus , et illi  
545 is qui sursum agitur pugnet contraque feratur,  
546 quod detur nequaquam ipso in vertigine, qua sit  
547 talis ne motus sit ei contrarius ullus.  
548 Sic itaque ex motu quo moles illa rotatur  
549 corporibus caelum censent differre, proculque  
550 distare a reliquis mundi quae ad summa feruntur  
551 natura motu recto, aut labuntur ad ima,

552 et quae mutari passim, et corrupta renasci  
553 inque aliud transire liquet semperque novari,  
554 proptereaque esse haudquaquam mutabile caelum,  
555 cui natura insit non umquam obnoxia fini.  
556 Qualia sint ergo haec videamus cuncta, priusque  
557 de specie est illud constanti ac mole videndum,  
558 quis caeli statuere orbis constare profundi,  
559 an ideo haec liqueat non immutarier unquam.  
560 His vero in rebus quis non miretur, et alto  
561 non putet ac longo oppressos statuisse sopore  
562 talia de prima nascentis origine mundi  
563 solertes tot patrum animos, errasseque vera  
564 a ratione procul, quaevis dum aeterna putarunt  
565 ex spatio ac forma longo constantibus aevo  
566 corpora, nec proprium haec umquam variare tenorem ?  
567 Quae si certa putent, plura hoc terrestria pacto  
568 corpora constarent non ulli subdita labi,  
569 quae longum specie ac mensura prorsus eadem  
570 inconsumpta manent, haec sed tamen omnia certum est  
571 vi quavis correpta sua decedere forma,  
572 aut validis tandem corrumpi viribus aevi.  
573 Nam duri quamquam silices frangantur, et aurum  
574 succumbat ferro rutilans, atque igne liquescat,  
575 saepe tamen manet his eadem natura, suoque  
576 persistunt longum statu, formaque per aevum :  
577 et fragiles conchae durant quandoque, proculque  
578 undarum rabie integrae servantur, et illas  
579 non etiam crescens circum vis saxea mutat.  
580 Saepe etiam molli durata coralia caelo  
581 et nitidas constat longo post tempore gemmas  
582 non immutari ; et sanguis quem mitigat hirci  
583 non longinqua modo potis est excedere saecla,  
584 sed ferro haud umquam cedit nec vincitur igne  
585 indomitus vivaxque adamas, ac permanet idem.  
586 Sic et naturae ars imitatrix plurima monstrat  
587 quae valeant longas saeclorum vincere metas.  
588 Saepe etiam tenui ex argilla cernimus urnas  
589 annorum contra illaesas persistere cursus ;  
590 quin et majorum spiranti e marmore vultus  
591 et fabre incisos lapides grandesque columnas,  
592 pluraque de genere hoc quandoque excedere longam  
593 annorum seriem, nec tempore labier ullo.  
594 Haec tamen exstingui ut quavis terrestria certum est,  
595 et veniente suo solvi tantum omnia fine.  
596 Ergo quod forma et spatio caelestia certo  
597 corpora constiterint longum haud mutata per aevum,  
598 non ideo efficitur certo ne tempore solvi  
599 mutarive queant, haud umquam subdita leto,  
600 quandoquidem saepe annosis quamplurima saeclis  
601 corpora permaneant eadem, cum haec laedier ulla  
602 vi non contingat, numquamve affecta novari.  
603 Quae vero immenso torquentur sidera mundo,  
604 par fuit ut puro constarent corpore, longum  
605 mansuro, et tali quae essent motuque locoque  
606 disposita, afficerent ne se subito, atque vicissim  
607 conflictarentur, sed longos serius annos

608 durarent eadem, quo perfectissima mundi  
609 ipsa diu moles statu duraret eodem.  
610 Quare quod certo haud mutatur tempore quodam,  
611 nequaquam certum est id non mutarier umquam.  
612 Nam complura quibus prorsum est mutabile corpus  
613 nil mutata diu mansura in saecula durant.  
614 Ergo quod spatio observarint sidera certo  
615 incorrupta diu, et forma persistere eadem,  
616 non ideo efficitur, ne sit mutabilis unquam,  
617 et nusquam caeli natura obnoxia fini.  
618 Quod superest nunc de motus ratione videndum est,  
619 an sit immensum minime mutabile caelum  
620 infima mutari quavis ut corpora constat.  
621 Idque animadverti in primis noscique necesse est,  
622 non eadem caeli corpus ratione rotari  
623 cetera qua motu recto surguntve caduntve ;  
624 quandoquidem rectum non ullis cernimus esse  
625 corporibus motum, quae etiam per se altero aguntur  
626 nequaquam recto, ut motus in corpore eodem  
627 natura prorsus varios contingat inesse ;  
628 propterea haud fieri ne cum vertigine rectus  
629 esse etiam nequeat caelesti in corpore motus ;  
630 ut quodvis recta aut sursum levitate feratur  
631 aut ruat in praecipit depressum pondere corpus,  
632 et plerisque etiam motus, quod diximus, alter  
633 ex vi corporea et forma cujuslibet insit,  
634 cum rectus minime ex forma sit corporis ac vi,  
635 sed levioe idem aut graviore ex pondere constet,  
636 quod subjecta in materia consistere certum est.  
637 Quare ex vi propria caelum formaque rotatur,  
638 corpora cum recto contingat cetera motu  
639 ipsa ex materia et ducenti pondere ferri.  
640 Et caelum praeter nonnullis motus in orbem  
641 aut alius quam rectus inest, natura sua vi  
642 quem facit, et propria subjecto in corpore forma,  
643 atque ideo propter motum haud differre putandum est  
644 natura caelum a reliquis quae tempore tandem  
645 mutari liquet, et mortali lege teneri.  
646 Quod vero praeter motum qui ex pondere constat  
647 atque ex materia altero item non ulla ferantur  
648 ac proprio magis, et formali corpora motu,  
649 naturae propria vi ex multis nosce licebit,  
650 omnia quae dulci Musaeo intincta liquore  
651 pandere suaviloquo complectens carmine pergam.  
652 Nonne vides, signans ad solem ut ferreus horas  
653 cum magnete stylus libratus vertat ad aequum  
654 se Boream, propria vi illum certaue ferente  
655 natura, geminasque inter transversus Eoi  
656 Occiduique horas, signo consistat eodem ?  
657 Ille idem in rabido est deprensus aequore nautis  
658 dux iter ad tutum, certusque errantibus index,  
659 tempestas cum caeca diem, solemque fugavit ;  
660 aut ubi per noctem fulgentia sidera nubes  
661 et fidas tenebris abdunt pallentibus arctos,  
662 ipse viae regit ignaros, cursumque per undas  
663 dirigit incertas, propriae dum semper eodem

664 vi naturae actus certa in regione locatur.  
665 Idque etiam in rapidi miro est cognoscere motu  
666 fulminis, in supera quoties regione vagatur  
667 spiritus ille furens, caeli qui caerula templa  
668 impete percurrens magno perque aethera circum  
669 versabundus agens vacuis late intonat oris,  
670 horrendumque fremens obtutuque ocior ipso,  
671 aera per liquidum volitans bacchatur, et auras  
672 dividit obstantes, atque obvia nubila tranat ;  
673 saepe etiam ingenti petit idem murmure terras,  
674 pertenuique licet sit corpore, densa fragore  
675 roborata terribili, annosaque a stirpe revellit  
676 et valido quercus perfringens dissipat ictu ;  
677 excelsasque arces, et summa cacumina tactu  
678 disjicit, hucque ruens atque illuc turbine vasto  
679 fertur, et horrissono convolvit cuncta tumultu,  
680 talis inest illo natura in corpore motus.  
681 Nonne sua vi etiam, et propria vertigine ferri  
682 aspicimus ventos, quoties sese impete miro  
683 conglomerant, terrasque rotanti turbine verrunt ?  
684 Idque etiam fieri caelo plerumque sereno  
685 ventorum obstrictis reliquis perque antra sepultis ;  
686 ut liqueat tales nulla ratione suapte,  
687 sed tantum natura illis contingere motus.  
688 Porro et legitimis sua vis est insita ventis  
689 cum volitant rapidi, laxisque feruntur habenis  
690 hac illac, magnoque inter se proelia miscent  
691 concursu, et valido complent caelum omne tumultu ;  
692 aequora quo vertunt motu atque e fluctibus imis  
693 eductam undarum tollunt ad sidera molem.  
694 Hinc nemora elapsi in terras ac robora dura  
695 prosternunt, camposque minaci murmure complent,  
696 quaque ruunt flabris perniciousa omnia turbant ;  
697 atque illis propriae naturae is motus inest vi ;  
698 nam propria est illis regio, in partesque feruntur  
699 quisque suas, Notusque illas has tendit in oras  
700 Africus, hinc Auster, Boreas hinc perfurit acer,  
701 atque alii terras eodem salsumque profundum  
702 tempore, coelum alii spatiosaque nubila perflant ;  
703 naturae ut pateat propriae vi quemque moveri.  
704 Praeterea stellae, noctis quas saepe per umbram  
705 tranquillo aspicimus celeres excurrere caelo,  
706 longius in gyrum tendunt, curvoque feruntur  
707 flammaram ductu, donec solvantur eundo.  
708 Quod si aliquamdiu eodem perdurare tenore  
709 currendo possent, caelum circum ire vagantum  
710 stellarum ritu tales contingeret ignes ;  
711 sed licet in tenues solvant sese ociosius auras,  
712 quam volitare diu tamen, et durare meando  
713 possunt, pars illis rectissima ducitur orbis,  
714 quare hos vi propria liquet impellente moveri.  
715 Demum qua caelo fulgentia crinibus ardent  
716 sidera flammivomis, errantum more vagantur,  
717 ac propriae immensum circumducuntur Olympum  
718 naturae vi, atque aethereis spatiantur in oris,  
719 verum diverso quo errantia lumina motu,

720 praesertim quod signifero procul orbe feruntur,  
 721 inque illam declinant partem qua ardua mundi  
 722 vertitur aetherei sublimi cardine moles.  
 723 Ergo ferunt rutuli errantum se more cometae,  
 724 sed proprio ac vario quam illorum singula motu.  
 725 Quapropter multis quoniam ratione probatum est  
 726 corporibus natura alium contingere motum  
 727 cum recto qui ex materiaque ac pondere constat,  
 728 atque ille alter non nullis est motus in orbem ;  
 729 nequaquam efficitur, caelesti ut corpori inesse  
 730 is tantum possit qui fit vertigine motus,  
 731 sed liquido constat motum hunc vertiginis esse  
 732 vi propria, eque sua caelesti in corpore forma,  
 733 cetera ut ex motu praeter rectum altero agantur ;  
 734 nec pote perpetuo rectum contingere caelo  
 735 motum ex materia atque ex pondere, ut omnibus illum  
 736 corporibus certum est reliquis genitalibus esse.  
 737 Quapropter rebus nil motum propter ab imis  
 738 natura caeli corpus differre putandum est ;  
 739 atque ideo esse creatum caelum itidemque caducum,  
 740 atque illi esse ortum reliquis qui est omnibus unus,  
 741 principiumque illud quod diximus esse elementum.  
 742 Jam vero id falsum est, positum in ratione quod ipsa  
 743 est motus, cuncta ex adversis corpora rebus  
 744 in lucem gigni, atque eadem in contraria solvi.  
 745 Illud item, quivis quod sic vertigine motus  
 746 fiat, ut huic alius non sit contrarius ullus,  
 747 nam late ostensum est undas atque aera primis  
 748 corpora nequaquam adversa ex affectibus esse,  
 749 frigida quod prorsus natura atque humida utrisque est  
 750 et tamen e tenui manifestum est aere lympham  
 751 produci, atque in eumdem illam transire solutam ;  
 752 ac etiam in gyrum motu contraria cuique  
 753 vertigo est alia occurrens, contingit in ipsis  
 754 motibus ut rectis cuique adversetur ut alter  
 755 qui se illi opponit signoque occurrit eodem ;  
 756 sunt etenim adversi quos sic occurrere motus  
 757 evenit inter se, quod pugnent mutuo et alter  
 758 se occursum alterius sistat, nec liber uterque  
 759 fiat, et una ullo nequeant persistere pacto.  
 760 Ergo non vera patuit ratione probari,  
 761 materiae non esse eadem primordia caelo,  
 762 corporibus reliquis ut contigit omnibus esse.  
 763 Clausa igitur reseranda via est, inque arta latentis  
 764 naturae penitus subeundum claustra, novisque  
 765 pandenda ipsius caeli est natura repertis,  
 766 idque ego dulciloquis exponens versibus edam.  
 767 Qui caeli corpus nullo immutarier aevo,  
 768 aeternumque et eodem perdurare tenore  
 769 crediderunt, hujus spatia immensasque cavernas  
 770 in plures divisere orbis, qui ordine sese  
 771 contigui ambirent, circum per mutua ducti ;  
 772 nam vaga si per se, proprios nec tracta per orbis  
 773 sidera ferrentur, vehemens contingeret ipsis  
 774 singula inaequali varians mutatio gressu,  
 775 semper nunc motu intenso, nunc vecta remisso,

776       cursus enim numquam est ipsis aequabilis astris,  
777       sed semper celeri incedunt tardove meatu ;  
778       at vero caeli moles si immensa profundi,  
779       complures illos non esset scissa per orbes,  
780       sidera quae proprio ducuntur singula motu,  
781       per caelum incessu se agerent conversa suopte,  
782       atque ipsum quavis esset penetrabile mundi  
783       corpus, et huic tenor haud umquam persisteret idem.  
784       Quapropter ne quis forte tranabile caelum  
785       crederet, hacque iter astris incedentibus esse  
786       proptereaque solubile corpus, pervium inane  
787       materiaque ipsum penitus constare caduca ;  
788       constituere suis affixa vaga orbibus astra,  
789       qui se perpetuis ducentes motibus iisdem  
790       fixa sibi veherent per magnum lumina mundum,  
791       ut sic afficier numquam caeleste daretur  
792       corpus eo sese pacto volventibus astris.  
793       Ergo ut inaequalis motus, quo sidera duci  
794       cernimus, ipsorum auferretur ab orbibus, illos  
795       finxerunt tales, ut motu semper eodem  
796       sese agerent cum ipsa ut certum est palantia caelum  
797       nunc celeri ambirent nunc tardo lumina gressu.  
798       Porro ipsos orbes tales statuere, quibusdam  
799       ut medium haud sit idem cum mundi mole, aliisque  
800       impar sit spatio ambitus, atque hinc crassior orbis  
801       illinc tenuior, ast alii sint corpore parvi  
802       prae reliquis se volventes intraque locati  
803       id spatium quo extenditur ambitus orbium ab imo  
804       mundi declinantum, insint quis singula parvis  
805       sidera quos Graio dicunt sermone epicyclos.  
806       Hoc vero positu qui constituere tot orbes  
807       tam vane, ex hoc cursus decrevere vagantum  
808       siderum inaequales constanti posse rotatu  
809       orbium agi, certumque illos servare tenorem.  
810       Quapropter positis tam multis orbibus, illa  
811       prorsus inest ratio, quaeque ut mutatio ab ipso  
812       tollatur caelo, constansque id duret idemque.  
813       Sed nunc quod superest certa ratione probari  
814       res peteret, positos nequaquam posse per orbes  
815       tolli ne caeli corpus mutetur, et astris  
816       tales esse vagis motus, ut si orbibus illa  
817       ferrentur, naturae iidem mutabilis essent,  
818       atque ita mutari caelum, positosque liqueret  
819       ipsos nequicquam spatiis caelestibus orbes,  
820       vel si mutari corpus caeleste daretur.  
821       Praeterea motu ex ipso cursuque patere  
822       sidera nequaquam ferri vaga posse per orbes.  
823       Demum sic esse omnino mutabile caelum,  
824       ut non mutari id tantum, sed corpore in illo  
825       saepe creari contingat quaedam interimique.  
826       Sed dum signorum incessus motusque vagantum  
827       me juvat, et miros naturae solvere nodos  
828       longe alios cursus alios mea perficit orbes  
829       mens agitata malis, acrique exercita cura,  
830       cura, has aeternis quasitas vatibus olim  
831       quae me tentantem naturae accedere partes

832 ad tristes vertit gemitus durosque dolores  
833 heu misero nimium at frustra sirenis amatae,  
834 quae nunc de patriis demisso lumine portis  
835 incisum cari nequicquam nomen alumni  
836 desertasque piis spectat cultoribus aedes ;  
837 conspicuas aedes, molli quas aurea dextra  
838 extruxit, nemorumque Venus discrimine cinxit ;  
839 illas non meritis fulgens duroque labore  
840 aucta meo priscae defendit gloria gentis,  
841 quin caput in miserum vastis surgentibus undis,  
842 fortunaque minis dirisque ultricibus acto,  
843 longe alio mutanda mihi sub sidere tellus,  
844 et dulces essent ignota sede penates.  
845 Scilicet insignis pietas largusque meorum  
846 effusus toties dilecta ob moenia sanguis  
847 et pugnata illis magno pro Caesare bella  
848 id meruere, omni nec me contage soluta  
849 texit, et egregias tot vita exculpta per artes.  
850 Felices nimium et fatis melioribus orti,  
851 mens sua quis satis est fluxae non indiga laudis,  
852 et scelerum immunis nullique obnoxia culpae  
853 est almae tantum dives rationis, opesque  
854 quas bona fert nullo genitrix natura labore,  
855 ingentes credit vitae fugientis ad usum.  
856 Nec terit angustas aevi irremeabilis horas  
857 dum tenui capitur fallacis flamine vulgi.  
858 Ante tamen felix cunctos qui noscere morem  
859 fortunae, et vires potuit contemnere leti ;  
860 ac solidos numquam periturae laudis honores  
861 et verae aspirat mansura ad gaudia vitae.  
862 Anxia non illum spes insanique dolores,  
863 sollicitive metus urgent aut gaudia vana.  
864 At strepitum vulgi, coetusque exosus inanes,  
865 densa petit nemorum, silvisque exquirat opacis  
866 sponte sua e ramis structas frondentibus aedes,  
867 commodaque in specubus mollive cubilia prato.  
868 Non illic facilem genitrix uberrima victum,  
869 terra negat duro teneros e stipite fetus,  
870 pubentique bonas thallo, et radicibus herbas,  
871 et natica cavo stillantia pocula saxo ;  
872 interdumque illi socios si junxerit idem  
873 sanctus amor, dubios pariter qui spernere casus  
874 atque operam assuescant vitae mortalis inertem,  
875 in terris verae alterius jam gaudia vitae  
876 praeripient, veri spectabunt lumina solis,  
877 aethereasque inter curas sanctumque laborem  
878 subducent alacres terrenae pectora labi.  
879 Illos non rigidi fasces iraeque tyranni  
880 externisque inhians opibus vis barbara laedet,  
881 bellorumque faces, emptave in pace rapinae,  
882 nec jus forte datum poterit pretiove repensum  
883 invictos animos et libera frangere corda.  
884 Haec se mortales dubiis extollere rebus  
885 et docuit varios contemnere vita labores ;  
886 haec tot devictis felicia pectora terris  
887 evexit caelo, et fulgentibus intulit astris ;



888 hanc magni coluere patres cum dirus habendi  
889 nondum Tartareis amor evasisset ab oris,  
890 quo pius aeterni moriens rex conditor aevi  
891 impulerat, caecisque illum demerserat umbris.  
892 Hanc mihi tu caelique parens terraeque repertor  
893 vivere, dum fessos animi vis roborat artus,  
894 da, pater, et crebra quae illam caligine condit  
895 aethereosque hebetat sensus, hanc eripe nubem.  
896 Tum vitae unanimem socium comitemque laborum  
897 fascitelum, irati rapuit quem numinis ira,  
898 redde meum. Nil triste illo durumque recepto.  
899 Ipse tuam caelo demissam virginis alvo  
900 progeniem, canet ille duces, magnique triumphos  
901 Avalidae, qui nunc vires orientis, et acrem  
902 impia compressit reparantem proelia Gallum.  
903 Sed maris ignoti latum sulcavimus aequor,  
904 et protensa diu per vastos carbasa fluctus  
905 jam malo adjungi poscunt, portuque carina.

\*\*\*\*\*